

QUÆSTIO MEDICA

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS
MANE DISCUTIENDA.

IN SCHOLIS MEDICORUM,

Die Jovis 26. Januarij

M. JOANNE ROBERT
DOCTORE MEDICO, PRÆSIDE.

An ore ductus aër ſubit cor?

I.



OR viſcerum facilè princeps, Sol corporis, animæ Regia, caloris, & quæ ab hoc ſuſtinetur vitæ domicilium, in pectoris humani (quod eximiam præ ſe fert habitus ſui dignitatem) expoſito ſublimique ſolio ſedet; unde rei nullius egens, paſtum, & quas poſſidet opes cuique parti copiosè impertit. Inde officia quæ in reliquum corpus proficiſcuntur, per effuſas præſtantur vires. Ut corde vigente, functiones cunctæ vigeant; languente, langueant; deficiente, penitus aboleantur. Ab eo nempe tractæ ſunt venæ & arteriæ quaſi rivi quoquoverſum diviſi, per quas diſcurrens humor & ſanguis univerſa membra, ſuccis vitalibus irrigat. Sed ut ad omnium conſervationem comparatum, omnem faciat ſanguinem; quòd hujus eadem eſſe debeat, quæ caloris ſcaturigo: non omnem tamen in ſe. Cùm enim ab aſſumpto cibo multæ ſint decidendæ ſordes: nullæ autem prope cor extent purgamentorum cloacæ;

priùs in jecore elaboratur: at is vilior & crudior, nec ante alturus, quàm denuò ſubactus & recoctus, tum nitidior à pulmone exiens, & in intimo corde retractatus & fulgens, vitam ſumat, fiatque τροφὴ ἡγεμονική.

II.

QUONIAM Naturæ fomites ignîſque nativi primordia continentur in cordis propugnaculo valde ſolido, quô æthéream faculam illî quaſi in regium quoddam conclave depactam cuſtodiat, ſimul atque ſanguis à jecore per venam magnam in dextrum ejus ſinum influxit, concaleſcit, mox calore in humidum agente fervet, fervens agitatur, ebullit, & in humorem tollitur; ut eum capere niſi amplificatum cor nequeat, & ſicut ab indomita tuberculi materia excitatus incluſuſque vapor, pulſum efficiat: tum in venam quæ ipſa ſpecie arteria eſt receptus, ab hácque in pulmonem molli complexu cor ambientem delatus, ipſum inflat, cogitque ad ducendum de cœlo ſpiritum, quo perflatus, tenuatus, purgatuſque, reſtituatur in quem acceptus eſt locum. Eſt quippe caloris à corde cum ipſo velut à fonte dimanantis, atque animalis extinctio prorſus eadem. Hinc quæ ſpirant in pauco eodemque aëre, & aquatilia in pauca eademque aqua, brevî ſuffocantur.

III.

QUI aërem fiſtulæ ſpiritalis in utramque pulmonis regionem diductæ, multiplicibus tubis exceptum, per venam quæ iniquè arteriæ nomen uſurpat, in ſiniſtrum cordis ſpecum caloris conſervandi, ſpirituſque creandi causâ deportari prædicant, non ſordidi licet naturæ authores, veritatis viribus refelluntur. Fieri ſpiritus ex ſolo alimento, per venas in igneam vitæ arcem concedente, aëremque aſperæ ipſius arteriæ bronchiis non excidere, jam eſt diligentioribus exploratum. Per ſummum illius canalem in cadavere, aut ſpirante adhuc animali præciſum, folle immitte aërem, quem injecto ſubinde vinculo exitu prohibeas, dein thoracem divide, diſtentum quidem pulmonem at minimè pervium, illiuſque ut negatâ tentet iter viâ, nihil in lævam arteriam, lævumque cordis ſinum irrepere ipsâ re comperies. Calore luculento cor egere, quo ſanguinem & ſpiritus continenter, adornet, nemo docendus eſt. Non egere aëre docent piſces, qui degunt in alto mari: docent & Phocæ, Delphini, Balenæ, Teſtudines, Ranæ, & quæcumque demerſa aquam diu tolerant. Imò quàm ſit id aëris impatiens, res indicium hæc fa-

cit, quod ubi pericardio ſciſſo nudatur, cæteris partibus haudquaquam violatis, algidi aëris frigidæve incurſione citiſſimè interit: calido autem in loco ſalit palpitatque diutiùs.

IV.

QUOD opinionis commentum delet naturæ cognitio, evertit & ratio. Scitu digna res, quo affixo cuſtode incorruptiſſimo, acceptum ore ſpiritum, ſi ſparſis per pulmonem bronchiis elabatur, ſola legat arteria venæ ſimillima, non potior arteriæque titulo dignior vena. Et qui provinciam illi dant aëris cum ſanguine ad cor tranſvehendi: ab hocque ſeductas fuligines foras exportandi, in quos ſe laqueos induunt? tantámne rem tam negligenter egiſſe callidiſſimam Naturam, ut ne id faceret, quidvis facturam? Tot res in unam concluſiſſe venam? Certè quo tranſeunti ſpiritui pateret ſemper aditus, vacuam, nec mollem fingi oportuiſſet, ex cartilagineis ſcilicet annulis compactam, ad modum fiſtulæ ſpiritalis; quæ tamen (quantumvis ſit ejus ſolers ſubtiliſque deſcriptio) ſi quando alieno humore occupatur; ſtertor continuóque mors occupat. Agmen quoque fuliginum cum puro aëre concordare, nec hujus beneficium extinguere: & à corde illas, ad cor hunc, ut cunctetur, intaminatum per unum vas hinc inde pulſatum impariter, adverſo curſu ſuam ſic perſequi viam, ut ſibi nec moræ ſint, nec miſceantur. Infuſam auræ undam eò ſe inferre, unde ſubtiliſſimis ſpiritibus egredi, & quô abſcedentibus fumis non liceat regredi. Omnes etiam corporis arterias dum diſtenduntur, contrarios in uſus florem ſanguinis, & aërem, calorem & frigus ſimul ac cupidè ad ſe recipere, auribus eſt animiſque hominum abſurdiſſimum. Telis mille aliis iſtos configas, quibus nondum ereptus eſt ſuus inde objectus error, quód quantùm viventium calor abſit ab ignis indole, nunquam intentis oculis perſpexêre.

V.

IGNEM, qui continua eſt humidi in ſiccum mutatio, tuetur aër; non quód eum refrigeret, ejuſve ſit pabulum: ſed quia cùm fluvij inſtar gignatur & fluat; niſi in volucri aëre ardere non poteſt. At ſpiritum hauriunt animantes, non ut qui eſt in corde calor, ſed qui inferbuit ſanguis per arterias iturus, membriſque omnibus dividendus, temperetur. Quam in rem maximo ingenio Natura fabricavit pulmones in pedeſtribus, & branchias in aquatilibus. E dextra nimirùm cordis ciſterna effuſus in latum illud æquor capaciſſimorum pulmonum, dum ab arteriæ, quæ

planè vena eſt, minoribus ramis reſorbetur, ex hiſque in majores colligitur, & per vicina ac media venam inter & arteriam bronchia, ſeſe irruentis impetu aëris quodam quaſi flumine verberatur: quemadmodum humoris æſtu exultantis tumor vel levi afflatu reſidet, aut gelidâ lagenæ circumfuſâ réfrigeſcit qui intus eſt liquor, de ſuo faſtu caloreque non parum remittit; vitij, ſi quid adhuc hæret, exuit, cordique tandem mundior atque illuſtrior redditur. Propterea quandiu in vita eſt homo, ducta ſpiritu anima quaſi flabello ventulum facit ſanguini per arterias, quæ hinc inde aſperæ aſſident, caput ſcandenti, perque rari & inflabilis pulmonis ſpatia, nunquam non aperta, veluti per quamdam porticum, reciprocâ viciſſitudine commeat; ut tamen nunquam cor attingat, ejuſque pulſum mutet. Ita quoque piſcium ſanguis refrigerationem capit, aquâ motu branchiarum aſſiduo, ad eam partem in qua cor eſt, vi compulsâ.

Ergo ore ductus aër non ſubit cor.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Carolus Briſſet.	*M. Petrus Pourret.*	*M. Antonius Morand.*
M. Nicolaus Rainſſant.	*M. Antonius de Caën.*	*M. Joannes Hamon.*
M. Joannes Grout.	*M. Carolus de Laval.*	*M. Simon Boulot.*

Proponebat Lutetiæ CLAUDIUS MARILLIER Neocaſtrenſis, A. R. S. H. M. DC. LXXIII.